



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. S. Edeltrudis mira virtus, & mira gratia, morbum pro purgatorio suo
impetrantis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

VII.
Ex hist. An-
glican. Ant^o.
Balinghem,
die 23. Iunij.

Eiusdem sententia & sapientia fuit S. Virgo Etheldreda, aut Edeltrudis, quæ regij & stemmatis & animi duobus, in Anglia, regibus nupta, duodecim annis, in ipso matrimonio, consecratam beatissimæ DEI Genitrici MARIÆ virginitatem conseruauit. Minitabatur enim, exemplo S. Cæcilie, maritis, ab Angelo suo custode eos percutiendos, si quidquam illibata virginitati aduersum attentarent. A posteriore coniugio, magnis precibus, tandem etiam vitam religiosam in cœnobio viuendi obtinuit licentiam. Ibi, in loco Elge dicto, Antistita facta, ieiunijs se se assidue afflictabat. Monasterium quoque magnificum, & regia liberalitate dignum, in honorem Deiparæ edificauit, DEI Matrem identidem rogans, ut illius patrocinio, si Purgatorij rea esset, liceret sibi noxam omnem corporis dolore & morbis expiare. Audiit hanc eius petitionem cæli Regina; & tam prodigiosam, inter regias opes, & coniugiorum illecebras, virginem; tam erga se, & ædes sacras liberalem reginam; tam sobriam, & tot inedijs vigilijsque exhaustam antistitam, filiam tam Deo charam, in diuinis oculis purgantium flammaram ream inuentam, in hac vita expiari impetrauit. Continuo igitur collum, & vbera illius, foedum in modum, intumuerunt. Inde tabificam sanguis saniem eiecitabat; inde grauissimè olens spirabat halitus; inde immensi dolores oriebantur. Quam verò ob causam hæc fiebant? O metuenda Numinis iudicia! solum, quòd ipsa sibi aliquantulum in auribus torquibus & monilibus gestandis placuisset. De cetero ita sancta extitit, ut, cum Anno salutis 685. morte sua defuncta esset, vndecimo postea anno, virgineum illius cadauer refoderetur, & corpus, & linteamina, quibus inuolutum erat, integerrima, & Elysiu quid spirantia inuenta sint. *Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui, magnificentia in sanctitate, terribilis atq; laudabilis, faciens mirabilia?* In virgine, in domus sacrae fundatrice, in coniuge tam miraculosa, adeò leuem complacentia culpam, tam atrociter plectis? & plectis ex gratia? immò plectis Matre tua tamquam poenam mitiorem impetrante; quid in me facies, o iustissima seueritas? quid in me facies? *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Quam nos stulti sumus, qui poenam in alteram vitam differimus? qui

Exod. 15. 11.

Luc. 13. 31.

Cap. XXVII. Undecima morb. causa, ut ad poenitentiam vocemur. 283.
de dentium, aut renum, aut pedum dolore, querimur, & caelum
terraeque lamentis complemus? Sancti, ob leuia delicta, graua
tormenta lubentes pertulerunt: nos, ob grauissima crimina, le-
uissimas poenas vix sustinemus.

Fuerunt tamen etiam magni peccatores, qui, ob scelera
sua, mallet in hac vita, morbos cruciantes, quam in altera
flamas purgantes tolerare, atque ideirco morbos sponte ele-
gerunt. Insigne eius rei exemplum extat in vita B. Adalberti
Monachi Altachensis, qui generoso & perantiquo sanguine Sue-
uorum, e militari familia dynastarum Hayerloana oriundus, post
iuuenilis aetatis licentiam, infra Reginoburgum ad ripam Da-
nubij secundae Boicae, inter oppida Straubingam & Dekendor-
fum, a Poppone Abbate in coenobium Altachense receptus,
miros in vita spirituali progressus fecit, adeo martyrij sitiens, ut
etiam inter barbaras & paganas gentes vellet Christum praedi-
care. Hac Adalberti virtus Popponem inuitauit, ut ei curam iuuen-
tutis, & scholarum commendaret, parociamque committeret, & ad
proximum demum ab se gradum Prioris eueheret, cum in omni officij
munere ita se tractaret, uti nihil ab eo plus antistes desiderare posset. In-
de magis in dies ac magis virtus Adalberti inclarescere, prodigijs ma-
nifestis in vulgus prodi, concursus ad illum veluti certum periclitan-
tium asylum fieri, scelerum & flagitiorum sarcinis onerati ad pedes
illius accidere, onera delictorum ponere, medicinam agris animis qua-
rere. Ille omnibus certatim succurrere, multisque per poenitentiam
calum aperire. Erat inter ferè depositos & deploratos, certe peccandi
consuetudine inueteratos muliercula, qua corpus, seu quasi seu vo-
luptatis causa, inter procos vulgauerat, nec tamen eo progressa erat,
ut spem salutis poneret. Morbo suo remedium quasiura Adalbertum
supplex conuenit, ignosceret impura, & veniam praeteritis impertiretur,
spondere se continentiam, moresque sanctiores. Accepit condicionem
haud imperitus animorum medicus Adalbertus, curam agra conscien-
tia admoet, & cali spem facit, si de cetero vitam emendatiorem polli-
ceatur. Nihil non promittunt agri mortales, sed non perinde quod pro-
misere, praestant; quod nemo satis suam ipse animi imbecillitatem ex-
ploratam habeat. Misnia (nam hoc cognomen puella fuit) cum
aliquandiu voluptatibus inconcessis temperasset, atate floreque corporis,

N^o 2

& is

VII.

Matth. R^o
derus volum.
2. Bauariae
sanctae pag.
323.

XI

1. 2. 3. 4. 5.

1. 2. 3. 4. 5.